QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-quartâ Novembris.

M. LUDOVICO LABBE', Doctore Medico, Academiæ Cenſore, Præſide.

An febris eſſentia, Calor?

I.

NISI obſtaret febris, quiſque ferè conceſſum ſibi à naturâ vitæ curſum perageret. Morbi alii qui aut brevi hominem tollunt aut ſenſim conſumunt vix adoriuntur centeſimum. Hic nemini parcit, omnem ſexus, ætatis, temperiei, victus rationis vim eludens oppoſitam, quò ſe aut ad ſalutem, aut ad interitum verſurus ſit, ſemper anceps. Cætera quotquot ſunt quibus adfligimur mala, certas ſymptomatum, quibus naturæ officiant, copias ſortita ſunt; habet hoc ſingulare febris ut ſi quem perdere inſtiterit, nulla non hominem nata lædere incommoditas ejus prava, quantùm in ſe eſt, conſilia roboret atque promoveat. Soliciti, crudi, macie, labore, inediâ confecti, otioſi, perpaſti, ſucci pleniores maximè ei obnoxii ſunt. Obſcuris interdum initiis ſe ingerit, deſubitò interdum & tumultuosè apprehendit; nunc lento incedit pede, nunc velociſſimo progreditur; aſſiduè aliàs & uno tenore affligat, aliàs certis exacerbatur horis, eſt cum extincta omnimodè poſt ſtatas periodos reviviſcit. De illius eſſentiâ, quo contineretur potiſſimùm, à recentioribus nonnullis, vel calidiſſimè diſputatum eſt, Paracelſo, Sylvio, Villiſio, Ettmulero, & ſiniſtra quem in lucem natura extulit, nec quidquam potuit niſi meliores carpere Helmontio. Ut à quibus, an antiquitatis, an novitatis partibus ſtet veritas diſcernatur, id ſufficit requirere, quæ ſcilicet apud febrem proprietas id privilegii obtineat, ut primo inter cæteras, quibus ea obnoxia eſt, loco poſita eſſe agnoſcatur.

II.

VIS tibi rei alicujus eſſentia, ſeu id quo hoc vel illud eſt, innoteſcat, ſingulas illius proprietates contemplare; has exclude quibus ſi careat nihil quidquam ideo detrimenti in eam redundabit; in ullâ noli conſiſtere quæ tametſi ei adſideat perpetuò, alteri ſe priori ſubjecta eſt; ultra perge donec eam offenderis quam ſemper præſentem reliquæ omnes conſequuntur & ſupponunt, dum ipſa regnans nullam agnoſcit aliam cui ſerviat. Id exemplo patebit: Illius rei eſſentiam reperire animus eſt quæ generationi omni corruptionique ſubſternitur (vulgò appellant materiam) hanc viam inſiſte, eò facilè quo tendis pervenies; ſimul duritiem ex eâ dempſeris, mollitiem, fluxilitatem, motum, quietem, quæ tametſi abſint illæſa nihilominus manſura eſt; nec figuræ

etiam, divisibilitati & impenetrabilitati peperceris, ei quidem assidentibus perpetuò, at proprio robore non stantibus, ultrò sese offeret in omnem dimensionem extensio, essentiæ sibi apud eam jure certè meritissimo vindicatura laudem, utpote quæ omnium, quibus materia ornata est, affectionum prima, posita præsensque eam continuò exhibeat, expulsâ, ne vel minimum quidem illius vestigium remanere permittat. Simili prope modo, si cæteras quibus febris impunè careat proprietates contempseris, quæ superstes nunquam illam deserere & primo in ea loco posita esse videbitur veram tibi genuinamque illius essentiam demonstrabit.

III.

CALORE imprimis & frigore tactilibus, acerbitate, amarore, aciditate, cæterisque aliis sapidis virtutibus (δυνάμεις appellat Hippocrates) & sani hominis & ægroti fortuna stat. His intelligimus materiæ aliquam portionem, iis inexistentem corporibus quæ vel cuti vel palato adhibita hanc vel illam apta sunt perceptionem apud nos invitare. Disciplinam uniuscujusque genuino characteri cæterisque aliis rerum naturalium causis latentibus requirendis intentam, arti quam profitemur (nihil dico de artifice) prope inanem esse contendimus; hanc vetus Medicina tot inventis præclara ne norat quidem, felix si propriis opibus, ad quas eam Hippocrates redegerat, satis dives, alienarum præterea curam suscipere denuò & hypotheseωn vanitati servire coacta non fuisset. Eæ quæ in nobis subsunt facultates amico inter se, ut natura desiderat, nexu conjunctæ sint, sanitatis integritatem possidemus; ex his una pluresvè à reliquis dissiliant, morbo adfligimur. Nullâ molestius graviusque quàm saporum intemperantiâ & dominatu conturbamur; fidem hujus rei faciunt ægritudines innumeræ, quæ aliàs facile domabiles, si aut acris aut acidi aut alicujus alterius saporis hujusmodi vim traxerint, quidquid opis adferatur, per longas nihilominus temporis moras obstinatè desæviunt. Calidi è contra frigidique virtutes evectæ supra modum omninò levium sub morbis virium sunt; quin sæpe mutuam sibi ipsis, ut attemperentur, opem præstant. Ex alto corporis sinu tacitè profectum frigus ossa quatiat, una vix hora vel altera præterierit, cum succedaneus calor illud quantumlibet egregiè insolescens rapiet prosternetque; nec vero deinceps caloris sors multò fortunatior futura est, quem redux pede, ut ejus natura fert, paulo languidiori frigiditas longè lateque grassantem vicissim pessundabit. Quanta quanta tamen caloris, dùm solus fatigat, infirmitas est, si aliquam cum saporibus societatem inierit, ejus vis ita acuitur, ut ne ulla quidem reliquarum, quæ in homine delitescunt, facultatum sit ad illum comparanda. Qui sub febre omni sive levi sive gravi, vel saporum purâ, vel eorum commercio sordidatâ, has ei partes concesserit ut illam nunquam deserat & cæterarum quas experiri nata est affectionum dux examen regat & mecum faciet & æquo Jove judicabit.

IV.

PROPRIETATUM febris duplex ordo censendus est. Nullo alias sui damno vel admittit vel repudiat, aliis nusquam destitui se patitur calori necessario colligatis & ab eo quasi suspensis. Ea sola quæ gravissima est has fere secum portat, virium prostrationem, animi defectionem, syncopem, artuum jactationem, soporem, delirium, sitim (quæ nulla naturalis est) inexhau-

ſtam, motus convulſivos, exanthemata, carbunculos; Moderatiori hæ fere ſe adjungunt, facies inflammatione ruboreque ſuffuſa, tenſiva laſſitudo, capitis gravitas, ſomnus altior, reſpirationis difficultas, quarum omnium vix ullam in mitiſſimâ, qualis ephemera eſt, reperias. Horror, rigorve intermittentem, ſæpe etiam vel continuam comitatur, mille aliis locis nequaquam conſpicuus. His putredo, à fermentatione non diverſa & in ſaporum inter ſe diſſidio poſita, accenſenda eſt, quam nemo ſub febris gravitate ſummâ non agnoſcat, ſub inſigni ejuſdem mollitie, niſi percontumax, non rejiciat. Dum febris hiſce affectionibus aliiſque hujuſmodi, quæ ab ejus eſſentiâ procul ſemotæ ſunt, immunis eſſe poteſt, caloris exuperantiâ, ſanguinis fervore, & pulſus vehementiâ atque crebritate, tot veluti ſatellitibus individuis circumſepta ſemper prodit, quibus ſi cogatur deſtitui, proſterni eam illicò penituſque aboleri neceſſe eſt. Atque hæ quidem mutuò ſibi ita reſpondent, ut pulſus crebritas & vehementia ſanguinis efferveſcentiæ, hæc calori tanquam opifici in febre primario ſubjecta ſit & ab eo dependeat. Imperium æque grave exercet calor, in cæteras febris proprietates, illius præſertim nomine apud eam conſpicuas; ſapores nimirum qui in ſanguine ſubſunt ſuccutiendo, disjungendo & hùc vel illùc temerè impellendo has omnes ſuſcitat moleſtias quibus febre acutiſſimâ detentos miſerrimè excruciari obſervamus.

V.

SPRETIS ergo vanis adverſariorum meditationibus, velut ægrorum ſomniis, cum Hippocrate, Galeno, Celſo, per quos maxime viros ſalutaris ars noſtra increvit, liceat audacter aſſerere, febrem eſſe *Receſſum à naturali ſtatu in caloris quaquaverſum diffuſi & ut ſubſtet nullam opem externam requirentis evidenti exuperantiâ poſitum.* Nihilo autem minus ei definitioni accedendum eſt, quod ſub febre putridâ interdùm à modulo naturali parum alienus calor, vel propè extinctus videatur; ecquid enim hùc pertinet ab inſurgente frigore eum vel pene ſuffocari? ſi quâ novâ incommoditate tunc æger adurgetur, morbus quidam ea ſit ſingularis tam à febre diverſus quam quiſquam alius ab altero differre exiſtimari poteſt. Sic qui bene calculum ponet, febrem intermittentem non ſolitarium morbum & unicum, at alteri, horrori videlicet rigorive conglutinatum fatebitur. Sed nec quiſquam in pervidendis morborum differentiis vel utcunque ſagax febrem ullam frigidam unquam extitiſſe propugnabit, aut ſolâ hiſtoriæ fide admodum fallaci conſtantem, aut non febris appellatione, ſed aliquâ certè aliâ connotandam. Quæ valde diverſa calori & frigori adhiberi debet medendi ratio, quam diverſas ægritudines exhibeant ſatis arguit. Huic ſi ſimplex eſſe agnoſcatur, ut fere apud febres intermittentes ſe offerre conſuevit, otio potius quam negotio occurrendum eſt: ſi conjunctum putredini animadvertatur, ut ſe res habet in malignis, ſola cardiaca opponenda ſunt eaque calorem ſuſcitandi facultate non ignobili adornata, Illi, calori nimirum, ſiquidem fermentatio vel nulla vel adſit molliſſima, debentur refrigerantia, venæ ſectio, & repreſſo tumultu, unde coctionis ducitur conjectura, purgatio. Quod ſi quæ putredo ſubeſt ſymptomatum gravitate & anomalia inſignis agnoſcatur, cardiacis quidem pugnandum eſt, at quam ſub frigore temperatioribus, & ſanguinis, ſi res urget, miſſione parciori, ſi moras permittit, liberaliori, dum purgationis auxilium imploretur, ſæpiſſime in hoc caſu

vel naſcente adhuc morbo, nec ullâ coctionis demonſtratione expectatâ mochlicωs celebrandæ. Circumſpecti tamen hominis eſt ſibi tunc cavere ut ne feſtinationi nimiæ indulgeat, ſolo populi male judicantis præclaræ vitio, qui ſtudio ſtupidus majorem vim habere credit ea quæ non habent artem & effringere quam aperire, rumpere quam ſolvere, trahere quam ducere, nullo non loco, efficacius utiliuſque exiſtimat. Hæc omnia vir ille viderat & arte & facundiâ inſignis propeque divinus Hippocrates, qui πενόμενος ταῖς λέξεσι, πλουσιός δε τοῖς ενθυμήμασι vel ſyllabâ quâ febrem ſolebat deſignare, omnem illius eſſentiam complexus, eam in calore ſitam eſſe manifeſtiſſimè declaravit. Is ſi, quidem ſolus ſit omnique requiſito à ſaporibus auxilio deſtitutus, in eo duntaxat nervos intendit ſuos ut ſanguini effervefcentiam apportet, cor & arterias vehementius crebriuſque exagitet & aliquot turbas moveat, ſolâ ſæpe frigoris reverſione ſpontaneâ tranquillandas. Quod ſi ſaporum, quam ſibi paravit, excandeſcentiâ & furore, bipenni velut terribili armatus ſit, ὡς αν ἡγεύμενος καὶ παροξυνόμενος καὶ αὐξανόμενος ἅμα κέινοις ſanguinis texturam diſcerpit, corporis fibrillas diſſecat, ſuccos ab iis quas inſiſtere debebant viis alior ſum vel invitos propellit, junctos ſeparat, diviſos permiſcet & confundit, naturamque ita immutat ut ipſa ſe eandem eſſe vel brevi non agnoſcat. In febre demum qualibet, inter omnes, quas nata eſt induere, proprietates primum obtinens locum eas infra ſe poſitas ita prægravat, ut iniquus rerum æſtimator meritò habendus ſit qui non, eo febris eſſentiam contineri, cum antiquitate omni quam majeſtas quædam & ut ſic dixerim religio commendat, vel libentiſſimè fateatur.

Ergo febris eſſentia, Calor.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Michaël de Hodencq.	*M. Joannes Poiſſon.*	*M. Petrus Lombard.*
M. Pontius Maurin.	*M. Jacobus des Prez.*	*M. Philippus Mathon.*
M. Franciſcus Maillart.	*M. Petrus Paulus Guyart.*	*M. Raymundus Finot.*

Proponebat Pariſiis ANDREAS CRESSE', Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. *1695.*

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.